

affervare: demum palam fortuna inclinante, aperta fit fuga: quisque pro se properat pontem occupare, ne a suis exclusus, hosti trucidandus relinqueretur: cæduntur eorum terga, qui in extrema acie erant. Multi in ipsa fuga, sed plures omnino circa pontem oppressi, qui pondere armatorum hominum pressus, mediisque repente fractus, ingentem traxit ruinam. Quicumque in subiectas aquas cum materia pontis ac totis armis procidere, ad unum pene extincti sunt, alii jaculis, alii lapidibus: plures armorum pondere in imas aquas depressi, haud amplius extitere: ad mille & plures, qui citra pontem exclusi fuerant, periere: multi quoque vivi, abjectis armis, in Venetorum potestatem venerunt. Illi qui in citeriore parte abrupti pontis hæserant, telis undique petiti, deditionem facere sunt coacti. Hic Venetus præsidium militari opere ab hoste munitum, Jacobo Rovetio viro impigro tradidit tuendum. Turris quæ ante prælium initum cæpta fuerat oppugnari, per deditionem eadem hora recepta est. Capti eo die Genuensium quadringenti, in quibus nonnulli viri mobiles fuere. Signa publica non solum Liguri, sed & Patavinis etiam adempta: mille & amplius desiderati. Nocte quæ diem pugnae secuta est, Genuenses, Brundulano præsidio trimeribusque incensis, Clodiam se trepide receperunt. Victor, cognita hostium fuga, triremibus eo statim appulsis, duas Ligusticas incendio eripuit, decem flammis consumptæ: reliquæ non multo ante Clodiam fuerant reductæ. Patavinorum plerique, ac Ligustici nominis quidam, veriti ne, paulo post omnibus viis a Veneto infestis, non esset sibi integrum quum vellent inde abire, eadem nocte tacita fuga Patavium abire. Postero die, occupato Brundulo, per exploratores Victor cognovit decem hostium naves remige & armis instructas ad præsidium molarum esse: ad eas tentandas minora quædam navigia confestim missa. Ad quorum conspectum, ob nuncium acceptæ cladis territi Genuenses, relictis navibus, in aquas se præcipitant, nandoque in proximum litus evasere: ita sine ullo certamine naves illæ in Veneti